

R. N. *Illat.* Si actus aliquis dilectionis perfectæ ita potest esse comparatus, ut aliqua tantum peccata venialia detestaretur, si occurrerent, non vero omnia, et consequenter non deleret omnia: quanto magis actus attritionis sacramento præmissus ad aliqua tantum peccata sese potest extendere! quo in casu sacramentum tantum illa remitteret peccata venialia, quæ per actum attritionis retractata fuerint. Deinde cum thesis quoad alteram partem adeo certa non sit, tutius agetur confessione singulorum. Ex dictis

64. *Collige* 1°. Merito S. Thomas vim remittendi peccata venialia non tantum contritioni, sed etiam ferventibus caritatis actibus tribuit q. 79. a. 4. ad 1. et q. 87. a. 1. ad 3.; nam licet peccata venialia caritati quoad habitum non repugnent, ei tamen adversantur secundum actus fervorem, qui peccatorum venialium detestationem virtute contineat.

2°. Tametsi peccata venialia nunquam deleantur sine infusa gratia, quam contritio, caritas aut sacramentum efficiat: formalem tamen suæ desitionis causam aliam non habent, quam Dei condonationem extrinsecam; eo quod non sint incompossibilia cum pœnitentia, caritate, sacramento, et habitu gratiæ sanctificantis. Ita S. Thomas q. 87. a. 2.

3°. Sacramentalia dicuntur actiones piæ, quæ communitè adscribitur vis remittendi peccata venialia. Comprehenduntur hoc versu: *Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens*, h. e. Oratio Dominica, Aqua benedicta, Panis benedictus, Confessio generalis, Eleemosyna, Episcopi vel Abbatis consecrati benedictio. Quibus adhuc tria adduntur, scilicet Oratio in Ecclesia consecrata, Tussio pectoris, et Unctio sacra ceremonialis: sed duo priora ad orationem, tertium ad tinctionem reduci possunt.

Horum signorum aliqua etsi Deus proxime instituit, aliqua Ecclesiæ pastores: Deus tamen voluit ipsis vim indere expellendi peccatum veniale ex opere operato; Ecclesia vero id non potuit. Ita S. Thomas hic art. 3. et in 4. d. 16. q. 2. a. 2. quæstiunc. 4. et d. 21. q. 2. a. 1. Alexander, S. Bonaventura, Durandus, Richardus et veteres, contra Franciscum de Victoria, Sotum utrumque, Canum L. 12. de locis cap. 23. ad 9., et recentiores quosdam, qui ceremoniis hisce effectum tribuunt ex opere operato ad modum sacramentorum, si non inveniunt complacentiam contrariam, et homo vel pia actione, vel alio modo religiose illis utatur.

Remote tamen ad peccatorum venialium remissionem conducunt duplici de causa: nam imprimis si rite usurpentur, excitant in nobis pios motus pœnitentiæ vel reverentiæ in Deum et res sacras, quæ nobis occasio præbetur de peccatis, ut par est, dolendi. Ita S. Thomas art. 3. citato nuper. Deinde ad eandem exilium peccatorum veniam disponunt per modum impetrationis, non quidem proxime, sed prout juxta promissa divina, vel ad preces Ecclesiæ, ritus hosce adhibentibus gratiæ ad contritionem excitantes dispensantur.

Verum effectus isti non sunt adeo certi, partim defectu particularis promissionis divinæ, partim ex oscitantia utentium ceremoniis iis, partim etiam quod preces pro aliis fusæ non semper sint efficaces. Certius tamen signa illa et ritus movent ad pœnitentiam, quam piæ imagines, conaciones, etc. quæ non ut Sacramentalia ab Ecclesia proponuntur.

4°. Culpas veniales residuas post hanc vitam justis remitti consentiunt

SS. Patres, ex illo 1. Cor. 3. v. 12.: qui peccata venialia, indicata per *ligna, fœnum, stipulam superædificat... ipse salvus erit; sic tamen quasi per ignem.* Ita S. AUGUSTINUS Enchirid. c. 69., et L. 21. de Civit. c. 26., et L. de Fide et operib. c. 15., et de vera et falsa Pœnit. c. 18. Et refertur dist. 23. can. penult. et in can. *Qualis*; refertur eadem sententia ex B. GREGORIO L. 4. Dialog. c. 39. (opp. t. 3. p. 444. B.) qui eam colligit ex illo Matth. 12. v. 32. *Non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro*: nam inde infert, aliqua peccata remitti in futuro seculo: Non mortalia, inquit, sed venialia, quæ remittuntur in purgatorio. Quod necessario quoad culpam intelligitur: nam quoad pœnam dimissa culpa restantem, etiam mortalia ibidem remittuntur.

Absterguntur autem culpæ illæ veniales primo momento, quo anima corpore soluta est: tunc enim est omnino expedita ad cognoscendum optime statum suum, et ad cognoscendum perfecte et amandum Deum, et ad detestandum peccatum veniale; et cum habeat auxilium Dei efficacissimum, pro mensura suæ gratiæ sine mora perfectissime operatur. Ita S. Thomas q. 7. de Malo a. 11., Abulensis Matth. 25. q. 723., Richardus, Paludanus, Durandus, Major, Almainus dist. 21., Suaresius disp. 9. sect. 4. n. 13. contra S. Bonaventuram, Carthusianum, Dom. Sotum, et alios opinantes, id fieri toto tempore, quo durat pœna purgatorii. Neque horum opinio ex nuper laudatis Patrum testimoniis firmatur; nam a primo illo momento anima incipit purgari intrinsece a venialibus peccatis, ita ut vere dicantur remitti in purgatorio: præsertim quia plena remissio et quoad culpas et quoad pœnas non consummatur eo instanti, sed per purgatorium ignem.

ARTICULUS VI.

UTRUM MERITA PECCATO MORTIFICATA PER POENITENTIAM REVIVISCANT?

65. *Nota I.* Actio *effective mortua* seu *lethifera* est peccatum mortale, quia mortem animæ creat. Actiones *formaliter mortuæ* sunt actus virtutum supernaturalium in statu peccati lethalis exerciti, ac proinde nullum jus ad æternam gloriam tribuentes. Actiones *vivæ* dicuntur eadem actiones bonæ supernaturales, quæ in statu gratiæ fiunt, et jus ad gloriam auctori suo conferunt. Actiones istæ viventes, a peccato lethali superveniente dicuntur *mortificari*, et ita impediri ab effectu suo præstando, ut homini nullum jus ad gloriam tribuant, dum is in peccato perseverat.

De hisce operibus bonis disputatur, an peccato mortali omnino moriantur et usque adeo extinguantur, ut nunquam deinceps ad præmium supernaturale reviviscant; an vero tantum mortificentur peccato lethali, et quasi consopiantur, ita ut, resuscitata per pœnitentiam et justificationis gratiam anima, ipsa quoque priora opera reviviscant, et vim priorem exserant?

Nota II. Cum Catholici omnes unanimiter consentiant, merita peccato mortificata reviviscere, ut ostendit Suaresius in opusculis, Relectione 2., quoad modum tamen doctrinam istam explicandi, Scholastici Doctores multum inter se dissident. *Prima* opinio fert, pœnitenti ex meritis præce-

dentibus præmium duntaxat accidentale obventurum, gaudium videlicet de illis. Hujus sententiæ videtur fuisse S. Thomas q. 89. a. 5. ad 3. *Secunda* sententia putat, restitui quidem priora merita secundum præmium essentialia, non tamen proprium seu distinctum ab eo, quod debetur contritioni, qua homo a peccato resurgit; eo quod gratia non infundatur, nisi juxta dispositionem subjecti: subjectum autem per contritionem tantum disponitur ad tantam gratiam, quam per contritionem accipit; ergo hanc solam accipit, licet duplici titulo, nempe meritorum præcedentium, et contritionis præsentis. *Tertia* opinio asserit, merita mortificata reviviscere, etiam ad proprium præmium essentialia ac distinctum ab eo, quod contritioni præsentis respondet, proportionatum tamen præsentis dispositioni. Duæ priores opiniones sunt veterum Thomistarum; tertia est recentiorum, quibus accedit Gregorius de Valentia. *Quarta* sententia prioribus omnibus liberalior, affirmat merita mortificata cum toto præmio essentiali proprio per quamcumque contritionem perfectam, et actum amoris Dei reviviscere. Ita Scotus in 4. d. 22. q. 1. a. 2. Magister, Albertus, Richardus, Gabriel d. 15. Quibus accedunt Suaresius et plures alii.

66. *Dico I.* Opera bona peccato mortificata, denuo per pœnitentiam reviviscunt. Hæc sententia adeo certa est, ut contrarium vel sit erroneum, vel temerarium, imo multis videatur hæreticum.

Prob. I. Ezechiel 33. v. 12. ait Deus: *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit.* Noceret autem plurimum, si opera bona omnino extingueret.

Cum Deus Joëlis 2. Israelitas ad pœnitentiam hortatus fuisset, hunc pœnitentiæ fructum v. 25. ipsis proponit: *Reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus et rubigo, et eruca, i. e. præteritarum actionum bonarum mercedem vobis restituiam, ut exponit Hieronymus et Glossa in hunc locum.*

Ad Galatas, c. 3. v. 4. scribit Apostolus: *Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa:* ait nimirum Galatarum ærumnas, quas ante pro Christo pertulerant, non fore inanes et gratuitas, modo a Judaismo, in quem prolapsi erant, resipuerint. In quem locum S. Hieronymus (opp. t. 7. p. 421. C. edit. Vallarsi.): *Simul et illa spes, quod quicumque ob fidem Christi laboraverit, et postea lapsus fuerit in peccatum, sicut priora sine causa dicitur passus fuisse, dum peccat: sic rursus non perdit ea, si ad præstinam fidem, et ad antiquum studium revertatur.*

Eodem spectant adhortationes Apostoli ad Hebræos c. 6. v. 9. *Confidimus autem de vobis meliora et viciniore salutis, tametsi ita loquimur. Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis.* Testimonium istud de resuscitandis operibus mortificatis intelligunt Ambrosius, Anselmus, Theophylactus, S. Thomas: imo ipsum Concil. Trident. Sess. 6. c. 16. non solum innocentes jubet verbis Apostoli 1. Cor. 15. v. 58. incitari: *Estote abundantes in opere Domini semper, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino;* sed etiam erigi pœnitentes ejusdem Apostoli sententia: *Non enim est injustus Deus.*

Prob. II. Idem Concilium l. c. et Can. 32. ad hoc ut opera nostra sint meritoria, et præmium suum re ipsa consequantur, tres conditiones requirit: 1. ut sint opera hominis justificati; 2. ut facta fuerint in Deo, i. e. per

auxilium divinæ gratiæ; 3. ut homo in gratiæ statu ex hac vita decedat. Atqui hæc conditiones omnes habentur, quando justus præstitis bonis operibus in peccatum lapsus, per pœnitentiam resurgit, et in Dei gratia decedit; ergo ejus opera priora manent meritoria, et præmium suum obtinent.

In quam sententiam B. Ambrosius L. 2. in Lucam num. 33. (opp. t. 1. p. 1292. C.) *Vide, inquit, quam bonus Deus, et facilis indulgere peccatis: non solum ablata restituit, sed etiam insperata concedit.* Et Chrysostomus in dictum locum c. 3. ad Galatas (opp. t. 10. p. 697. C.) scribit, peccatorem prius suis actionibus bonis non frustra laborasse, si desistat a malo, et ad Deum per pœnitentiam revertatur. Eadem pluribus inculcat L. 2. ad Theodorum lapsum: et leguntur inter opera S. Augustini L. de vera et falsa pœnitentia c. 14.

67. *Obj. I.* Peccata priora per pœnitentiam et justificationem vere ita abolentur et extinguuntur, ut non reviviscant aut redeant per peccata subsequenta; ergo merita per peccatum subsequens etiam ita abolentur et extinguuntur.

R. N. *Cons.* Inter peccatum et bonum meritum non est par ratio. Nam 1º. bona opera Deo placent et perpetuo accepta ipsi manent, quia sunt dona Dei, ipsi præcipue tribuenda, quod ipso instigante et adjuvante fiant, qui priorior est ad miserendum, quam ad puniendum. Ita Scotus. 2º. Actiones bonæ vim habent a Christi meritis, quæ semper sunt grata et accepta coram Deo Patre: at Christi gratia plus valet, quam peccatum; ergo si peccatum mortificat merita, multo magis Christi meritum et gratia exsuscitabit merita mortificata. Hoc argumentum S. Bonaventuræ est. 3º. Ipsa Christi merita, exhibita quidem olim pro nobis, cum in peccato essemus, semper tamen in divina acceptatione manent, et quotidie effectum suum sortuntur, quando a peccato resurgimus; ergo in eadem Dei acceptatione manebunt nostræ bonæ actiones in statu gratiæ factæ, et vim ac dignitatem suam omnem ex Christi meritis sortitæ. Quod exemplo baptismi declaratur, qui, licet cum obice sumptus, manet tamen in divino conspectu acceptus tanquam opus Christi, et obicem remoto effectum suum obtinet.

Inst. 1. Principium supernaturalis vitæ caritas per peccatum deficit, ac interdum etiam fides; ergo merita bona simul cum caritate extinguuntur et emoriuntur, ac nihilo magis reviviscunt, quam opera bona formaliter mortua: a privatione enim non datur regressus ad habitum.

R. N. *Cons.* Licet principium supernaturalis vitæ caritas extinguatur peccato: quia tamen primitiva ac præcipua bonorum meritorum origo Christus, qui tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites in opera pietatis influxit, perpetuo vivit; eadem bona opera manent in acceptatione divina, quousque potest homo ad gratiæ vitam resurgere, h. e. usque ad ultimum vitæ ejus momentum; quæ proinde, cum peccat, non annihilantur, nec emoriuntur, nec sunt opera mortua, sed melius dicuntur sopiri et mortificari. Habent enim se ad instar plantarum et arborum, quæ asperæ hiemis algore compressæ et coercitæ, ne folia, flores et fructus proferant; id postmodum præstabunt adspirante aura tepidiorè, quam sponsa, Cant. 4. v. 16. invitat: *Veni auster, perfla hortum meum, et fluant aromata illius;* ut docet S. Augustinus in Ps. 125. (enarr. 125. n. 10.) Quapropter in hisce operibus

meritorii non est vitæ privatio proprie, sed impedimentum, quo minus in actum secundum prodeant, quod amoto obice statim præstabunt. E contra actiones formaliter mortuæ id nunquam possunt, quod gratiæ vita nunquam vixerint.

Inst. 2. Deus Ezech. 18. v. 24. ait: *Si justus fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Ergo merita priora non reviviscunt.

R. N. Cons. Loquitur Deus de eo qui non respiscit; mox enim subjicit: *In prævaricatione et in peccato suo morietur.* Ex quo thesis nostra firmatur: nam ut talis se habet, ac si nunquam boni aliquid fecerit; ita ad frugem reversus se habet perinde atque si nunquam peccasset: ait enim Deus v. 22. *Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.*

Inst. 3. Virginitas, teste Hieronymo, reparari non potest: quod idem dicendum de prima innocentia; ergo non omnia Dei dona per poenitentiam reviviscunt.

R. D. Ant. Virginitas et innocentia recuperari non possunt, secundum substantiam, et secundum suum esse formale *N.* secundum esse suum materiale, quod ei ex obliquo accidit, reparari non possunt *C.* Formale virginitatis est propositum servandæ castimonie, et abstinendi ab omni oblectatione venerea: materiale vero est integritas corporis, expers omnis voluntariæ delectationis venereæ, qua pudoris integritas violetur. Gloria ista semel amissa recuperari nequit: fieri enim non potest, ut qui corruptionem talem admisit, corruptus non fuerit. Id quod etiam de innocentia dici debet, quæ peculiaris virtus non est, sed solum immunitas ab omni lethali peccato. Ex modo dictis de virginitate, liquet, quomodo Adamo poenitenti justitia originalis tota fuerit reddita secundum rectum et entitatem, quæ est gratia sanctificans; non item quoad obliquum, seu quoad felicitatem illam, qua inferior appetitus superiori perfecte subiciebatur.

68. *Obj. II.* Apostolus Hebr. 6. v. 10. loquitur tantum de operibus vivis hominum existentium in statu gratiæ, non vero de operibus mortificatis per peccatum; ergo ex illo Pauli testimonio non rite colligitur merita mortificata reviviscere. *Ant.* constat: hortatur enim Hebræos ad perfectionem, eosque deterret a peccatis, difficultate resurgendi proposita, si post tanta Dei beneficia laberentur; ergo loquitur ad eos qui nondum peccaverant, nam ait, *qui ministrastis et ministratis,* in tempore præsentis, in quo erant expertes peccati, ne ministrationes ipsorum sint opera mortua.

R. N. Ant. Ad prob. D. Cons. Loquitur ad aliquos, qui nondum peccaverant *C.* loquitur ad omnes qui nondum peccaverant *N.* Apostolus ad totam Hebræorum Ecclesiam scribit, atque eos quidem, qui post acceptam baptismi gratiam lapsi non erant, hortatur ad perfectionem et perseverantiam: lapsos vero in spem erigit, pollicitus, non solum fore, ut Deus præsentia justorum opera compenset, verum etiam memorem fore præteritorum, quæ ipsi aliquando fecerunt, atque remuneraturum, si per poenitentiam a peccatis resurgant. Scripsisse vero Paulum ad Hebræos, qui post justificationem et multa bona opera rursus in peccatum lapsi sunt, patet ex dicto capite, in cujus initio insinuatur, ipsos, defectu sufficientis instructionis putasse, in lege Christi, ad instar ritus Mosaici, plura esse lavacra ad abluenda peccata;

unde remissiores in caritate facti facilius peccabant, ut Apostolus in progressu capitis compararet eos terræ producenti spinas et tribulos.

Inst. Quod merita mortificata reviviscant, misericordiæ divinæ est adscribendum: S. Paulus autem dicto c. 6. justitiam adducit; ergo tantum loquitur de operibus nondum mortificatis.

R. D. Ant. Effectus hic adscribendus est misericordiæ soli *N.* partim etiam justitiæ *C.* Solius misericordiæ effectus est, quod Deus peccatorem excitet ad poenitentium, et quod poenitentem justificet: item quod ad gloriam olim propter bona opera tribuendam non requirat continuam in statu gratiæ perseverantiam; poterat enim hoc exigere: sicut ad meritum in actu secundo opus est acceptatione divina ad hunc effectum, cum Deus aliis nominibus nostras actiones exigere possit. Positis autem hisce beneficiis merita habent eundem effectum, quem habuissent, si mortificata non fuissent: atqui prius exigebant gratiam et gloriam ex justitia, quæ Deum inter et homines intercedit. Deinde si meritorum reviviscencia esset opus solius misericordiæ, non diceretur ab Apostolo Deus injustus fore, si præmium illis negaret: neque si operibus resuscitatis proportionatum præmium retribuere, hoc jam conferret propter ipsa merita, sed ex mero suo beneplacito; ergo revera non reviviscerent merita in ratione meriti.

69. *Dico II.* Merita mortificata reviviscunt ad totum præmium essentielle proprium, et consequenter ad totam gratiam sanctificantem et virtutes prius habitas: non vero ad accidentale tantum præmium, aut ad substantiale indistinctum realiter ab eo, quod debetur contritioni, qua homo a peccato resurgit.

Prob. I. Accidentale etiam ejusmodi gaudium percipiunt Beati de bonis operibus formaliter mortuis, h. e. in statu peccati exercitis: hisce enim sæpe de congruo acceperunt auxilia gratiæ conducentia ad resurgendum e statu lethalis peccati, et ad obtinendum finem suum ultimum. Atqui nemo dixerit, ejusmodi opera mortua reviviscere; ergo reviviscencia bonorum operum non satis explicatur per præmium illud accidentale ex ipsis percipiendum.

Prob. II. Opinio de reddendo tantum præmio realiter indistincto ab illo, quod actui perfectæ poenitiæ tribuitur, reviviscencia meritorum tot argumentis operose stabilitam plane convellit ac subruit. Nam si nihil antiquæ gratiæ per merita priora comparatæ, re ipsa adjiciatur illi, quæ contritionis conatui respondet, nec majoris gloriæ gradum poenitens intuitu veterum meritorum accipiat; tota reviviscencia meritorum in titulum sine re atque in denominationem extrinsecam desinit; dum gradus quatuor gratiæ et gloriæ novæ poenitiæ concessi, iidem omnino intuitu præcedentium meritorum conferuntur. Non ergo servabitur justitia distributiva præcipiens, ut habenti plura merita, pro ipsorum dignitate, gloria amplior, tanquam justitiæ corona rependatur: nocebit impietas impio iterum converso: non revertentur anni, quos comedit locusta et bruchus: oblivescetur operis boni Deus: revera *sine causa,* seu frustra, tanta passus est peccator poenitens, quando adhuc justus multa, Dei gratia, tulit ac fecit; denique frigida nimium foret adhortatio, qua ex Tridentini jussu excitandi sunt peccatores respiscentes ad strenuam bonorum operum exercitationem; fisi, se illis operibus, quæ in Deo facta sunt, divinæ legi pro hujus vitæ

statu satisfecisse; et vitam æternam olim, si in gratia decesserint, consequendam promeruisse.

Prob. III. Præmium essenziale proprium meritorum est certus ac determinatus gloriæ gradus, ad quem a Deo acceptantur sub conditione simplicis decessus in gratia; ergo quamdiu homo in gratia decedere potest, merita vim suam ad præmium essenziale proprium retinent, a peccato subsequente non imminutam; ergo peccato remisso, vis illa tota reviviscit, ac proin merita ad totum præmium essenziale proprium reviviscunt.

Cum vero gratia sanctificans proportionata huic præmio ordinarie sit inseparabilis ab eodem, tanquam causa ipsius; consecrarium plane est, simul expergisci jus ad totam hanc gratiam, eamque una cum comitatu individuo virtutum extemplo restitui, ne promissiones divinæ nuper argumento recitæ inanes esse videantur.

Hæc et alia argumenta evincunt etiam, redire gratias sine nostris meritis per sacramenta obtentas.

70. *Obj. I.* Merita mortificata reviviscere ad gaudium accidentale duntaxat, et ad solam gratiam fervori caritatis justificantis respondentem, quæ simul etiam detur intuitu meritorum præcedentium, adeo aperte a S. Thoma traditur q. 89. a. 5. ad 3., ut Suaresius ipse existimet, eum in partem alteram trahi non posse.

R. N. Assert. Sotus hanc Bannesii sententiam, ait, esse falsissimam, Ledesma erroneam: quæ censuris præstantissimi Thomistarum illam non perstringerent, si sancti Thomæ esse judicassent. S. Thomas autem ibidem in conclusione et ad 1. aperte docet, opera bona per peccatum non aboleri, sed adhuc manere in acceptatione Dei; impediri tamen, ne sint efficacia ad perducendum hominem in vitam æternam: sublato tamen peccati impedimento per remissionem, recuperare efficaciam ad perducendum eum, qui illa fecit, in vitam æternam, Deumque implere illud, quod opera illa merebantur. Atqui opera bona non solum merebantur gaudium accidentale, sed præmium substantiale proprium, habebantque efficaciam perducendi hominem ad vitam æternam per gratiam sanctificantem propriam, et in mensurâ gratiæ sanctificantis præmio illi determinato respondentem. Ergo juxta eandem S. Thomæ doctrinam merita reviviscunt ad præmium essenziale, proprium et totale.

Quid Suaresius de mente S. Thomæ senserit, ipse commentario in dictum art. 5. ad 3. declarat his verbis: *Incredibile videtur, hoc sensisse D. Thomam, quia directe repugnat cum conclusione et ratione corporis articuli... Neque etiam verisimile est, per vitam æternam solum præmium accidentale intellexisse: neque efficacia meritorum alia est, quam consecutio præmii illis debiti. Præterquam quod doctrinâ illa in se valde falsa est, et parum consentanea doctrinæ ejusdem D. Thomæ in aliis locis. Et præsertim notandus est locus in quodl. 5. q. 12. a. 1.; dicit enim, aureolam semper præsupponere auream, et ideo qui non meretur auream, id est, præmium essenziale, non mereri aureolam, id est; præmium accidentale: quod intelligit non tantum respectu ejusdem subjecti, sed etiam respectu ejusdem operis: nam hinc concludit, eum, qui docet propter vanam gloriam, quia non meretur auream, neque aureolam mereri. Ex quo ulterius infert, quamvis postea illius peccati*

penitentiam agat, non recuperare aureolam: quia penitentia, inquit, restituit homini præmia prius habita, non tamen ea quæ non habuit, nisi in quantum motus ipse contritionis est meritorius. Penitentia ergo, ex mente D. Thomæ, restituit non tantum præmium accidentale, sed etiam essenziale, et, si hoc non restitueret, neque illud conferret: quia sicut a principio non potuit quis mereri aureolam sine aurea, ita nec postea potest vivificare meritum ad aureolam, si non potest ad auream: est enim eadem utriusque ratio, scilicet, quia aureola præsupponit auream, sicut comparativus positivum. Et paulo inferius: Fateor, inquit, me non satis intelligere, quid D. Thomas in hac solutione sibi voluerit. Et libentius dicerem, non satis accurate hic respondisse, quam propter unum verbum, quod excidere solet in solutione unius argumenti, sententiam aliquam probabilem, et aliis principiis ejus repugnantem, illi imponere. Hactenus Suaresius.

Inst. 1. Præmium a Principe pluribus nominibus collatum censetur majus esse, v. g. corona ob plures victorias imposita militi; ergo etiam majus præmium erit gratia et gloria collata ex meritis præcedentibus et præsentè contritione.

R. D. Ant. Si sit præmium mere morale, cujusmodi sunt signa honorum *C.* si sit præmium reale, physicum *N.* Cum honor sit alienæ excellentiæ æstimationis, hujus autem æstimationis declaratio dicatur honorificatio, æstimationem illam unico signo majorem vel minorem possumus testari. E diverso realia præmia plura et majora non nisi mercedis pactæ multiplicatione et incremento exhibentur: nam si Rex militi delinquenti placatus, etiam residua priorum annorum stipendia rependere promiserit, non satisfaciet promissis, sequentis anni stipendia etiam titulo priorum numerando: neque acquiesceret operarius, si uno tantum nummo pro hodierno labore debito, volueris priorum etiam dierum labores compensare. Sicut si quis pœna uni peccato respondente afficeretur nomine plurium, non censendus hic esset, pœna pluribus digna plecti.

Inst. 2. Justo eadem gloria datur nomine mercedis et hæreditatis; ergo potest idem præmium ex pluribus nominibus rependi.

R. D. Cons. Potest idem præmium ex pluribus nominibus rependi, si remunerationum tituli sint diversæ rationis eadem actione necessario comprehensi *C.* si sint tituli reales ejusdem rationis ob diversas actiones rependi præmium *N.* Quælibet justæ bonæ actio necessario continet titulos mercedis et hæreditatis: at nomen mercedis multiplex uti actiones plures requirit, ita præmium etiam peculiare atque ab alterius actionis similis præmio re ipsa distinctum, aut saltem secundum se præstantius, cujusmodi est habitus gratiæ et visio Dei intensior.

Inst. 3. Omnibus Christi meritis non datum fuit præmium, nisi quod singulis adæquate debebatur; ergo pluribus nostris actionibus bonis potest idem præmium ex titulis pluribus conferri.

R. N. Cons. Actiones Christi singulæ fuerunt pretii infiniti; ergo non poterat aliud præmium ab eo quod uni datum fuit, cæteris reddi. Quamquam nulla seorsim Christi actio erat in actu secundo meritoria ullius præmii; eo quod illarum omnes, ut morte solum consummatas, Christus una Patri ita jubenti obtulerit.

71. *Obj. II.* Juxta Conc. Trid. Sess. 6. c. 7. pœnitens recipit gratiam suæ dispositioni respondentem; ergo cum dispositione languidiore non potest recipi gratia intensior ante peccatum acquisita.

R. *Explic.* Juxta Trident. pœnitens recipit dispositioni præsentem gratiam, quæ in justificatione per se infunditur C. quæ infunditur per accidens N. Contritio est causa gratiæ, quæ per se et ratione præsentis justificationis infunditur, et pœnitentiæ fervori tanquam dispositioni exæquatur. Ast intuitu gratiæ ob merita suscitata quasi postliminio reversæ, contritio non est propriè dispositio, multo minus causa illius, sed tantum conditio, quæ impedimentum seu peccatum amovetur.

Inst. 1. Sacramenti efficacia major vel minor, pro pœnitentis dispositione reviviscit; ergo etiam efficacia meritorum antecedentium.

R. N. *Cons.* Sacramentum nihil antehac effecerat, sed incipit demum ad subjecti dispositionem vim suam exerere: actiones autem bonæ antea jam suum præmium meriti et adeptæ fuerant, quod eis in justificatione restituitur.

Inst. 2. Si restituitur pœnitentiæ omnis gratia prius obtenta, ergo præstat peccare, et pœnitere, quam non peccare; eo quod pœnitens a lapsu ditior resurgat.

R. N. *seq. et ejus causalem.* In statu justitiæ nemo diu perseverat, qui se actionibus bonis assidue non exercet; ergo semper augetur meritum, et intenditur gratia, dum interea in peccatore, extincta gratia, quæ ante acquisivit, merita sopiuntur. Gratis autem assumunt Thomistæ, quod actus boni remissiones non intendant gratiam.

Inst. 3. Academia Parisiensis merito damnavit hanc propositionem: *Deus semper vocat hominem ab hac vita in optimo statu, quem in illa habuit*: ut testatur Joannes Major in 4. d. 22. q. 2. Atqui secundum thesin nostram, damnata hæc propositio esset vera; ergo.

R. D. M. Merito S. Facultas Parisiensis damnavit hanc propositionem, intellectam de omnibus hominibus C. intellectam de solis prædestinatis N. Electi ad certum gloriæ gradum prædestinantur; cum ergo ad certum gradum gratiæ, illi gloriæ proportionatum pertigerint, verosimile est, eos tum ex hac vita a Deo rapi serius aut citius, ne malitia mutet ipsorum intellectum.

ARTICULUS VII.

AN PECCATA DIMISSA REDEANT SUBSEQUENTE PECCATO NOVO?

72. *Nota.* Dupliciter cogitari potest, peccata prius dimissa posse homini recidivo ob novam culpam redire: primo formaliter, quoad maculam, offensam Dei, et reatum pœnæ; si nimirum reddant hominem eodem modo invisum Deo et æterna pœna dignum, quo reddebant antequam dimitterentur. Secundo virtualiter ac minus propriè, puta, in aliquo suorum effectuum. Peccata prius remissa, iterum per peccatum mortale subsequens redire olim docuerunt Hugo Victorinus L. 2. de Sacramentis p. 14. c. 9. Guilielmus Parisiensis tract. de Sacram. pœnit. et Gratianus d. 4. de Pœnit. in principio. Magister autem in 4. d. 22. non audent judicium ferre contra

hanc sententiam. Sed Medina Codice de Pœnitentia, tractatu 1. q. 8. argumenta opposita solvere conatur.

73. *Dico I.* Nullum peccatum semel remissum novo peccato subsequente reviviscit, nec quoad maculam et offensam, neque quoad reatum pœnæ. Ita S. Thomas q. 88. a. 1., Albertus M., S. Bonaventura, Scotus, Richardus, Gabriel et alii in 4. d. 22. quos sequuntur uterque Sotus, Suarez et recentiores Scholastici.

Prob. I. In sacris Paginis peccata dicuntur absolute dimitti: Isa. 1. v. 18. *dealbari ut nix*; Ps. 50. v. 3. *mundari, deleri*; Michææ 7. v. 17. *projici in profundum maris*; Joan. 1. v. 29. *tolli a Christo*. A Concilio autem TRIDENTINO Sess. 5. Can. 5. peccatum originale ita dicitur tolli, ut nihil ejus remaneat. Matth. 18. v. 18. ait Christus: *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in celo*. Joan. 20. v. 23. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Atque ideo sacerdotes sine ulla conditione futuri effectus a peccatis pœnitentes absolvunt: nam Rom. 11. v. 29. *Sine pœnitentia sunt dona Dei*. Nahum 1. v. 9. juxta editionem LXX. *Non puniet Dominus bis in idipsum*. Ezech. 18. v. 21. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor*.

Quo spectant, quæ GELASIVS Papa relatus apud Gratianum dist. 4. de Pœnit. cap. 24. final.: *Divina, inquit, clementia remissa peccata in ultionem ulterius vivere non patitur*. Et S. PROSPER, resp. ad object. 2. Gallorum (patrolog. t. 51. p. 138.): *Qui recedit a Christo, et alienus a gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? sed non in id, quod remissum est, recidit, nec originali peccato damnabitur, qui tamen propter postrema crimina ea morte afficietur, quæ ei propter illa, quæ remissa sunt, debetur*.

Prob. II. Idem peccatum non potest redire, quando quis ex statu justitiæ in peccatum novum relabatur: nam peccatum alterum realiter a priore distinguitur; hic enim vel maxime valet illud Philosophorum: a privatione non datur regressus ad habitum seu formam priorem; ergo est alia macula, sive hæc consideretur ut aversio voluntatis a Deo ad creaturam, sive spectetur ut privatio gratiæ; quia et actus privans est realiter alius, et forma gratiæ expulsa alia est. Consequenter est alia injuria Deo illata; alia item offensa. Igitur peccatum præteritum semel condonatum, neque secundum esse suum physicum, neque secundum esse morale redire unquam potest.

74. *Dico II.* Peccata dimissa quadruplici ex capite redire possunt sed minus propriè.

1º. Cum quis in ejusdem speciei peccatum relabatur, redit peccatum, non quidem hoc ipsummet numero, sed idem specie, quoad similem Dei offensionem, privationem gratiæ, et reatum. Ita febris redire dicitur, cum quis sanatus, in eandem recidit.

2º. Censentur redire peccata, quia ob ingratitude ex numero et enormitate dimissorum antea peccatorum, subsequens peccatum gravius æstimatur. Hinc illud Prov. 26. v. 11. et 2. Petr. 2. v. 22. *Canis reversus ad vomitum, et sus lota in volutabro luti*: ut advertit S. Grégorius L. 3. de cura Pastor. admonit. 31. (opp. t. 3. p. 83.)